

provida consideratione pensantes persecutiones multiplices, sumptus et dampna gravissima, que idem cardinalis et sui preteritis temporibus adversantibus eis potissime propter obsequia predecessorum nostris Romanorum regibus et imperatoribus per cardinalem ipsum et suos ac progenitores eorum in honoribus et iuribus imperii conservandis et manutenendis multipliciter et diversimode sunt perpassi, ad quorum satisfactionem nos et imperium eisdem recognoscimus obligatos, et propter hoc habentes ad ipsos multe compassionis affectum ac volentes eis premissorum obtentu de alicuius satisfactionis et aliqualis restaurationis in dictorum dampnorum compensationem providere remediis, sperantes etiam, quod quanto potioribus ipsos favoribus prosequemur et gratiis, tanto constituemus ipsos ex debito ad honores nostros et imperii promptiores, volentes insuper propter hoc dictum cardinalem, tam sublime membrum ecclesie Dei, peculiarem reddere nobis in nostris et imperii iuribus conservandis amicum, postulationibus eius annuimus et prelibatas donationem et concessionem dictarum abbatisse et conventus de dictis Motta et insula sibi sicut premittitur factas vel fiendas ratas et gratas habentes, non obstantibus quibusvis dictorum predecessorum nostrorum privilegiis seu mandatis fortasse contrariis, et volentes habere ipsas et illa perpetui roboris firmitatem, eas et ea auctoritate regia confirmavimus, quoad alia et tenore presentium confirmamus ipsasque Mottam et insulam cum iuribus, pertinentiis et appenditiis prelibatis cum libertate, immunitate et exemptione, mero quoque et mixto imperio ac iurisdictione totali dicto cardinali ac heredibus et successoribus eius universalibus vel in rem, ad quem vel quos de iure seu ipsius cardinalis dispositione, ordinatione vel voluntate devenerint, de novo concedenda duximus et donanda, in ipsum cardinalem ac prelibatos heredes et successores ipsius supradictas Mottam et insulam cum omnibus premissis iurisdictione et iuribus plenarie transferentes ipsasque a cuiuslibet alterius potestate et dominio in totum exemimus et ipsas liberas esse censuimus et supplevimus omnem defectum, si quis forsan in donatione, concessione et translatione pretactis extitit vel existet, de nostre precellentia potestatis. Et volentes dictos cardinalem ac heredes et successores favore prosequi gratie potioris, non obstante privilegio imperiali seu mandato, quo dicitur inter cetera contineri, ne quis hominum preter electum vel episcopum et comitem Valentin(ensem) a flumine Isare usque ad castrum Montilii et a castro Creste usque ad villam de